

CAPUT VII.

DE USU MATRIMONII.

§ I. QUATENUS COPULA LICEAT CONJUGIBUS.

543. I. Inter conjuges, valido matrimonio junctos (1), per se licita est copula (Vol. I. n. 387. II), ut e natura contractus matrimonialis evidenter patet. Neque ullo tempore determinato **fideles** ab usu conjugii, stricto praecepto, arcantur: nulla enim lex talia tempora statuit. ((S. Alph. n. 923) De copula habenda eadem die qua ad communionem acceditur, dictum est n. 204.

II. Ob varia **impedimenta personalia** quandoque conjuges sive a petendo, sive a reddendo debito conjugali prohibentur. Videlicet:

1^o *Ratione voti emissi.* De votis castitatis, religionis, etc, ante matrimonium emissis, diximus jam n. 512 seqq. Qui vero, post initum matrimonium, votum castitatis consentiente altera parte emittit, debitum petere vel alia quae in solutis castitati adversentur sponte agere, sub gravi prohibetur; eadem neque petere, neque reddere potest, si altera pars jus suum petendi per adulterium vel incestum amisit. Si vero vir tale votum absque compartis consensu emitteret, votum foret de objecto illicito, ideoque nullum, quia pudori feminae grave foret semper petere debitum (S. Alph. l. 4. n. 235): quae ratio non cadit in votum uxoris, quod proinde, etiam inconsulto marito, validum foret.

2^o *Ratione adulterii* cujuslibet, cum iis condicionibus quae n. 556 explicabuntur. Adulter a parte innocente repelli potest; ipse tamen debitum petere nulla lege prohibetur.

3^o *Ratione incestus*, ut supra (n. 482. IV) explicatum est.

4^o *Steriles*, sicut nec matrimonium inire, ita nec debitum petere aut reddere prohibentur. Vir cui, contracto valide matrimonio, ambo testiculi ablati sint, probabilius (Sanch. l. 7. d. 102. n. 6 seqq.; D'Annib. III. n. 410. nota 13, etc.) debitum reddere et petere potest: vacat enim rei quae in matrimonio per se licita est, et per accidens, absque ejus volun-

(1) Quatenus liceat uti matrimonio de cujus valore dubitetur, jam dictum est n. 493.

tate, fit ut verum semen non emittatur. A fortiori, si vir vaginam mulieris penetrare nequit, licebit eisdem copulam habere in qua semen ad os tantum muliebrium apponatur: siquidem, e recentiorum physiologorum doctrina, talis coitus absolute fecundationi sufficit. In feminis, impotentia stricte dicta matrimonio valide contracto supervenire nequit, nisi e causa quae penetrationem initialem, etiam usque ad clausuram, impossibilem redderet: in quo casu de liceitate copulae dubium moveri nequit, cum eadem sit physice impossibilis. Ablatio ovariorum meram sterilitatem infert. Cfr. de his omnibus n. 503.

544. III. A copula quandoque abstinendum est ratione damni ex ea imminentis sive alterutri parti, sive proli conceptae. Id tamen rarius contingit quam plerique veteres, praejudiciis abrepti, autumabant. Itaque:

1^o *Tempore menstruationis*, copula non videtur per se, etiam venialiter, illicita. Nam omnes hodie consentiunt mere caerimonialem fuisse, ideoque jam non vigere legem Levitici (XX, 18 seqq.) qua, sub mortis poena, talis coitus prohibebatur. (1)

Datur quidem aliquod periculum irritationis in organis muliebribus e tali copula oriturae. (Hubert, *Accouchements*, etc. I. p. 23) Sed hoc malum non est tam grave ut mulier se eidem exponere non possit. Indecentia vero, quae a quibusdam in tali copula carpitur, physica, non moralis est, ideoque culpam nullam secum trahit.

Ubi vero mulier fluxu perpetuo ac proinde morbidissimo laborat, leviter certe peccaret qui, temere et inconsulto medico, copulam cum ea haberet: eam enim majori organorum genitalium irritationi exponeret. Crescente eodem periculo, obligatio abstinendi gravis fieri posset. Idem judicium ferendum de copula tempore purgationis habenda, praesertim in duabus primis hebdomadis post partum. (Capellm. Med. past. p. 149 seqq.)

2^o *Tempore lactationis* nullum est praeceptum abstinendi a copula. Etenim jam constat non esse cum quibusdam veteribus timendum periculum, ne directe propter copulam lac matris corrumpatur. Fieri tantum posset ut, muliere iterum gravida, lac deterior evaderet vel prorsus desineret. Sed periculum istud satis remotum est, cum raro tunc nova praegnatio contingat. Insuper si desit lac matris, recurri poterit ad nutricem vel lactationem artificialem; aut, urgente necessitate, infans

(1) Ratio hujus prohibitionis haec esse potest quod, in regionibus Asiae calidissimis, mulieres copiosos fluxus patiuntur, et saepe pars sanguinis jam omnino corrupti in vagina mulieris remanet: unde oriri potuit periculum ne viri et tali copula graves morbos in genitalibus contraherent. (Eschbach, *Disp. phys. theol.* p. 122)

ad brephotrophium deferatur. Nequit enim, propter periculum adeo remotum, abstinentia fere continua fecundis conjugibus imponi.

3^o *Tempore praegnationis* eatenus tantum illicita esse poterit copula, quatenus per eam periculum abortus inducitur. Jamvero copula tunc solum poterit efficere abortum, et quidem indirecte, per irritationem et hyperaemiam uteri, cum aut saepius aut nimio impetu habetur. Gravius autem periculum erit intra tres vel quattuor primos praegnationis menses, iis praesertim temporibus quae menstruo fluxui respondent. (Capellm. p. 152; Hubert, I. p. 239) Hinc patet nullam culpam reperiri in copula quae moderate fiat, tempore praegnationis; immo in ipsa nimia frequentia copulae raro erit culpa gravis, cum vix constare possit de notabili abortus periculo.

4^o *Tempore morbi*, quo saltem una pars laborat :

a) Graviter illicitus est usus matrimonii, si ex eo proximum mortis periculum alterutri conjugi imminet : quod, licet interdum fieri posse testentur periti medici (Capellm. p. 158), rarissime satis constare putamus ut inde gravis abstinendi obligatio oriatur. Neque sub gravi a copula deterrendae sunt mulieres, quibus medici praedixerint fore ut in proximo partu moriantur : nam et haec praevisionis, experientia teste, non raro fallit peritissimos, et satis remotum periculum est, cum ipsa conceptio partusque evolutio incertae sint.

b) Si alter conjux laborat morbo contagioso, prudenter pensanda est gravitas morbi quem comparti communicare potest, probabilitas contagii, necessitas quam alteruter experitur ad copulam habendam. Sic phtisi laborantes a copula arcendi non sunt ob periculum contagii, quod in copula valde exiguum est : quamquam frequentior coitus phtisi laborantibus sat graviter nocere potest. Qui vero syphilide (quem *morbum gallicum* vocant Theol.) laborat, juxta D. Capellmann (p. 155), numquam cum comparte copulam habere potest : tum ob horrendam hujus venerei morbi naturam, tum ob moralem certitudinem contagii per copulam, saltem quamdiu externa morbi signa apparent, et prolis syphiliticae gignendae. Sed cum hic absit proximum vitae periculum, non censemus talem copulam esse absolute prohibitam, si altera pars de contagio instante monetur et gravis causa urget, puta incontinentiae periculum vel graves inimicitiae vitandae. (S. Alph. n. 909) Cfr. Vol. I. n. 363.

c) Semper diligenter cavendum est damnum quod proli jam conceptae inferatur, ex, gr. per morbum qui praegnantem communicaretur et in infantem transiret (quod de syphilide non contingeret). Nulla vero datur obligatio abstinendi a copula quia proles nascetur morbida vel etiam, antequam in lucem edatur, moritura est. Semper enim valet ratio quam S. Th. (Suppl. q. 64, a. 1) affert de prole conjugum leprosum : "Melius est ei sic esse quam penitus non esse." Nam, etiamsi ante baptismum

moritura timeretur, melior est perpetua existentia, cum originali peccato et carentia visionis Dei, sed in mere naturali beatitudine, quam existentiae privatio. (Sanch. l. 7. d. 102. n. 8)

545. IV. In copula habenda necesse est ut agens **finem honestum** intendat. Licet igitur eam exercere non tantum ad generandam prolem (qui finis primarius est matrimonii), sed etiam ad sedandam concupiscentiam, ad fovendum mutuam amorem, ad valetudinem servandam vel recuperandam, immo et ad assequendam delectationem quam eidem ipse Auctor naturae annexit, dummodo alii fines non positive excludantur. Leviter vero peccaret qui ita in voluptate sisteret, ut quemlibet alium finem positive excluderet, quo sensu intellegenda est prop. 9^a ab Innoc. XI damnata : "Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali." Practice sufficit ut conjuges copulam tamquam sibi licitam apprehendant, sicut in argumento prorsus simili dictum est Vol. I. n. 181. Cfr. Ball. P. n. 551 seqq.

Graviter sane peccat qui ad conjugem suam accedit mente adultera, i. e. qui, dum accedit ad suam, imaginatur turpem actionem cum alia : haec enim foret delectatio morosa de re graviter illicita, quae tamen se mere concomitanter ad copulam haberet. Nulla vero culpa, saltem letalis, apparet in eo qui, ut se ad actum conjugalem excitaret, in re honesta delectaretur, puta in sola pulchritudine viri aut feminae. (Sanch. l. 9. disp. 17. n. 6)

V. Quilibet situs innaturalis in copula habenda omni culpa vacat, dummodo habeatur justa causa situm naturalem viri incubi et feminae succubae mutandi (quae causa vix abesse potest ubi situs invertitur), et copula rite perfici possit. Quandoque etiam situm naturalem mutare debent conjuges, vid. ne foetui jam satis evoluti noceant. Neque videtur peccatum grave committi, si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, dummodo alia intra vas retineatur : quia sic generatio non impeditur, neque semen extra vas mulieris ex industria effunditur. (S. Alph. n. 917) Graviter tamen peccaret qui, cum melius copulam perficere posset, semen tantum ad os muliebrium apponeret ut nulla sequeretur fecundatio : nam, licet in casu extraordinario inde sequi possit generatio, haec tamen, moraliter loquendo, impediretur. Cfr. n. 503.

Numquam sponte de situ in copula habendo sermonem injiciat confessarius. Si poenitens se de inverso situ accusaret, interrogandus esset num ex hac inversione generatio prolis prorsus impedita fuerit : ex responso affirmativo colliget copulam habitam fuisse sodomitice; ex negativo, eam a tergo more brutorum fuisse peractam. (Gury, II. n. 912)

VI. Inter recentiores AA. controversum est num liceat **fecundatio artificialis**, qua scil. legitimi mariti semen artificiali methodo injiciatur vaginae uxoris quae conceptionis capax sit, dum maritus, quacumque demum ex causa, incapax sit copulae rite peragendae. Sed jam litem diremit S. Inqu. quae 24 Martii 1897 interrogata: "An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio?" respondit: "Non licere." Hac responsione certo reprobatur methodus communiter adhibita, vid. ut vir incipiat solus effundere semen: quod vasculo exceptum medicus, ope syphunculi, in mulieris organa infundit. Profecto potissima reprobationis ratio est: non obtineri finem bonum nisi per medium intrinsece malum, nempe per pollutionem directe voluntariam. Non censem tamen hoc S. Inqu. responso illicitam declarari praxim multo rariorem quorundam medicorum qui, praehabita copula naturali, virile semen ex ipso femineo vase hauriunt, haustumque in uteri profundum projiciunt. Haec enim non est proprie dicta artificialis fecundatio, et, quamvis facilem ansam abusibus praebet, intrinseca pollutionis malitia caret: quare eam omnino licere asserunt AA. qui (ut Eschbach, p. 70 seqq.) proprie dictam artificialem fecundationem semper reprobarunt.

§. 2. QUAENAM INSUPER LICEANT CONJUGATIS PRAE SOLUTIS.

546. I. Liciti sunt conjugibus quilibet **actus impudici imperfecti**, sive mutui sive solitarii, qui necessarij sunt vel utiles ad copulam facilius vel plenius exsequendam: cui enim licet finis, licent et media naturaliter ad finem ordinata.

Hinc iisdem licet se ad copulam excitare tactibus, osculis, aspectu, amplexu, verbis obscenis. Licet quoque mulieri, quae nondum plenam resolutionem naturae nacta est, sibi hanc plenam voluptatem tactibus procurare, postquam vir semen effudit. Haec enim plenior satisfactio est naturale conjugalis actus complementum, ad quod uxor ex ipso matrimonio jus habet; deinde verisimile est hanc humorum effusionem e qua plena illa resolutio nascitur, aliquid conferre ad generationem juvandam. (S. Alph. n. 919; Capellm. p. 138 seqq.) Idem feminae licitum putamus etiamsi vir copulam onanistice peragat: nam non apparet quare ipsi, ob culpam mariti, prohibenda sit plena voluptas ad quam jus habet et a qua appetenda, post tantam excitationem, aegerrime abstinere. Insuper ita confert quidquid potest ad juvandam generationem, si forte (ut contingit) aliqua pars seminis, praeter mariti voluntatem, in vaginam penetraverit. (Capellm. p. 140; Berardi, Prax. Conf. n. 1037)

II. Liciti sunt conjugibus **actus imperfecti mutui**, etiamsi ad copulam non ordinantur, modo adsit justa causa, ex. gr. mutuus amor fovendus, nec praevideatur pollutionis periculum; si vero justa causa defuerit, venialem culpam non excedunt. (S. Alph. n. 933; Ball. P. n. 609) Ratio est quod, cum conjuges artissima societate inter se uniantur et saepe tamen a coeundo prohibeantur, ipsi jugibus periculis essent expositi si hujusmodi actus imperfecti ipsis essent sub gravi prohibiti. Ergo existimandum est hos actus, accedente justa causa, per societatem conjugalem cohonestari.

Ubi vero ex iisdem actibus imperfectis periculum pollutionis in alterutro conjugue praevideatur, dissident AA. Satis probabilem existimamus sententiam plurium gravium scriptorum, ut Sanchez (l. 9. disp. 45. n. 35 seqq.), Sporer (de Matr. n. 500), Ball. P. (n. 609): hos actus tum in petente, tum in reddente, culpa saltem gravi vacare, dummodo actus hujusmodi non sint adeo turpes ut censendi sint *inchoata pollutio*, neque adsit periculum proximum consensus in pollutionem, et modo detur aliqua gravis causa talem tactum adhibendi. Ratio est, quod cum hi actus generice non sint inter conjuges illiciti (I), gravis causa eos cohonestat, quemadmodum inter solutos culpa vacat tactus in se licitus, etsi pollutio praevideatur, dummodo sit ob aliquam causam necessarius et desit periculum consensus. (Vol. I. n. 398)

Excipiuntur actus adeo turpes ut censendi sint pollutio inchoata: quia qui tales voluntarie ponit, implicite vult ipsam pollutionem, extra copulam (ut supponimus). Ad hanc sententiam melius applicandam, haec juvabunt:

1° Saepius in reddente quam in petente habebitur gravis causa hujusmodi actus ponendi. Haec tamen etiam in petente adesse poterit, puta ad fovendum amorem mutuum, praesertim quando copula haberi nequit, ex. gr. ob senis decrepiti impotentiam, vel periculum mortis quod mulieri ex partu imminet.

2° Plurimi conjuges non deprehendunt peccatum in delectatione quam sumant in pollutione quae ex actibus imperfectis, praeter eorum intentionem, sequatur. Quare generatim non expediet eos de hoc gravi peccato monere, cum plerumque is tantum monitionis fructus existeret ut peccata materialia in formalia mutarentur. (Lehm. II. n. 863)

3° Paucae sunt actiones quae pro omnibus censendae sint inchoata pollutio, cum etiam turpissimarum influxus quandoque plurimum minuatur ob consuetudinem, complexionis frigiditatem, etc., praesertim quando obiter et sine mora fiunt. Sic plures (Ball. P. n. 617) probabiliter censent virum qui obiter pudenda in os uxoris immittit, quandoque immunem esse a peccato saltem mortali. Ideo confessarius ab uxore interrogatus num haec pati possit, hortetur eam ut, quantum